

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCLXXX**

**VD18 90514300**

In Epistolam Jacobi Apostoli Argumentum Per Des. Erasmus  
Roterodamum

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

---

IN  
EPISTOLAM JACOBI APOSTOLI  
ARGUMENTUM

PER  
DES. ERASMUM ROTERODAMUM

**J**acobus, quoniam erat Hierosolymitarum episcopus, scribit et caeteris Judaeis, qui per omnes nationes sparsi habitabant, variis praeceptis vitam illorum formans atque instituens.

ARGUMENTI FINIS.

---

I N  
 EPISTOLAM JACOBI APOSTOLI  
 P A R A P H R A S I S  
 P E R  
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM

*CAPUT I.*

**J**acobus quondam mosaicae legis cultor, nunc cultor 1  
 et servus Dei patris, qui post evangelium proditum  
 spiritualement requirit cultum, huiusque filii Iesu Christi  
 domini nostri, scribit hanc epistolam cum omnibus, qui  
 christiana professione censentur, tum peculiariter iis,  
 quos ex omnibus iudaicae gentis tribubus persecutio-  
 nis, quae sub Stephani mortem coorta est, procella  
 alios alio dispersit, propulso a patriis sedibus, at non  
 depulso ab evangelii consortio, eiectione aedibus suis,  
 at non eiectione ab ecclesia Christi, precans iis veram  
 salutem, non hanc corporis tantum, quam mundus  
 optat, sed eam quam Christus suis, etiam in mediis  
 exitiis ac mortibus largitur. Quum communis evan- 2  
 gelii professio, quum idem baptismus nos fratres effi-  
 ciat, atque inter vere fratres oporteat laetorum pariter  
 ac tristium esse societatem, vehementer discrucietur  
 animum meum ista vestra calamitas, ni de vestra pie-  
 tate confiderem. Neque enim nescio iis, qui felicita-  
 tem huius vitae commodis metiuntur, exilium esse mor-  
 te gravius, miserrimum videri a carissimis divulso, ac